DE CHOLERA SPORADICO DISSERTATIO QUAM PRO DOCTORIS...

Ottavio Agostino Marin

DE

CHOLERA SPORADICO

DISSERTATIO

QUAM

PRO DOCTORIS

MEDICA LAUREA

OBTINENDA

MARIN OCTAVIANUS AUGUSTINUS

EDIDIT

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI.

TIBI

DILECTISSIME PATER

HOC TENUE OPUS

D.

DE CHOLERA SPORADICO.

Plerumque definitur cholera sporadicos sequenti ratione, vomitus et diarrhoea. Dejectiones alvinae morbo durante fere semper magna bilis copia comitantur cum dolore in stomacho atque in intestinis, spasmis in extremitatibus inferioribus et in abdomine viriumque prostratione. Si symptosis insurgit, hoc plerumque animadvertitur postquam morbus per aliquot tempus duraverit, propter abundantes dejectiones, spasmos et irritationem.

Praeter haec signa characteristica morbi, generatim detegitur ingens tumefactio stomachi intestinorumque. Fluidum rejectum saepe ingenti copia observatur, initio ex substantiis in ventriculo haerentibus compositum, dein ex materiis diversimode coloratis a leviter fusco ad viridem den-

sum, quae magna vehementia emittuntur. Faeces quarum species per totum fare morbi decursum semper eamdem copiam abundantem bilis secretionis denotant, quod ex materiis dejectis depromitur, generatim copiosae et faciles fluunt, quamvis quandoque moderatae sint et difficulter evacuentur. Adspectus fuscus dejectionibus tributus in cholera communi considerari debet tanquam isti morbo tantummodo proprius, qui in nostro vel in alio temperato climate manifestatur. Tum et quando enim albedo faecum notata fuit ut accidentalis a Celso et aliis in regionibus calidioribus antequam haec epidemia evolveretur, quae recenter omnium attentionem in se convertit. Sub initio invasionis cutis generatim calida et sicca apparet; sed post aliquot horas thermogenesis justo imminuitur atque humiditas frigida et viscosa exsurgit; lingua arida est et sitis flagrans; urinae paucae et coloratae; pulsus frequentissimi parvique et irregulares; spasmi musculos aggrediantes abdominis atque extremitatum inferiorum, et interdum etiam superiorum, brevibus intervallis recurrunt, gravique dolore stipantur. Postquam morbus per aliquod tempus duraverit vultus conspicitur exterritus et contractus; vox debilis est et interrupta, sensus prostrationis summum attigit punctum, atque in gravissimis casibus proclivitas ad deliquia gravis animadvertitur et periculosa.

In climatibus temperatis raro cholera lethalis evadit; tamen morbus summopere periculo stipa-

tur, et summam medici requirit attentionem. Mors praenunciatur diuturnitate vomitus et diarrhoeae, praesertimque hujusce ultimae, brevi respiratione, colore violaceo vultus, pallido et contracto, debilitate pulsuum et frigore extremitatum atque totius corporis superficiei. Vomitus e contra et diarrhoeae cessatio, calor cutis, pulsus magis expansi et minus frequentes, normalis vultus compositio viriumque restauratio e statu oppressionis et extenuationis imminentis salutis nuncium sistunt.

Haud raro accidit quod per aliquot dies post vomitus et diarrhoeae cessationem spamorumque et aliorum memoratorum symptomatum vehementium aeger levem persentit molestiam in epigastrio aut in aliis abdominis partibus, quae sub pressione increscit. Pulsus sunt eodem tempore duri et frequentes, lingua semper sicca et aut rubra et glabra, aut muco nigrescente obtecta; polydipsia praesto est cum perfecta anorexia, quandoque nausea; intestina tum et quando costipata sunt, quamvis haud difficulter purgante moventur; si stomachus illud non rejiciat, tuncque faeces obtinentur colore denso viridi donatae. Haec symptomata gastro-enteritidem denotantia supervenientem ad summum irritationis gradum in membranis internis tubi intestinalis, quammaximam expostulant attentionem; nam in pluribus casibus, quum minimi aestimata fuissent, lethalia evaserunt, quamquam aeger antea statum periculosiorem jam superasset.

Hic morbus confundi quandoque potest cum affectione a veneno quodam inducta, aut cum morbo epidemico ejusdem speciei. Christison differentiam determinare tentat inter affectionem irritativam veneni et choleram sporadicum ab utriusque decursu. Venena, ait ille, irritantia raro post binos die mortem inducunt, quin immo semper citius contingere haec solet, ateaim aegri aut post triginta et sex horarum spatium e medio tolluntur, vel interdum duodecim horarum, aut minus. Sed haec observatio non sufficit ad hasce duas affectiones bene inter se distinguendas; praeterea experientia nos docet mortam a cholera minitari post tres dies et etiam post duodecim horas. Ex hoc clare patet non bene firmam esse distinctionem a morbi diuturnitate desumptam. Aliter distinguitur vomitu sanguinolento in casibus veneficii perspicuo; sed et hic character insufficiens evadit quum in cholera quoque eminenter quandoque conspicitur.

Quamquam et morbi diuturnitas in casu lethali, et praesentia aut absentia vomitus sanguinolenti videantur ineptae ad hasce duas affectiones distinguendas, nihilo tamen secius conclusio eo nos perducit ut affirmemus diagnosim choleram inter et veneficium in pluribus casibus determinari posse ope symptomatum collationis, et certe ullus speculator medicus diu prope lectum aegrotantis remaneret, qui venenum assumpsit irritans ad dosim erectam, quin agnosceret aliquid adesse a naturali morbo, de quo sermo

est, absimilis. Verum est quod ille illis careret argumentis necessariis ad opinionem suam demonstrandam; verumtamen omnes morte accedente, vias tentare illi conceditur ut suspicioni suae satisfaceret. Sensus ardoris ad fauces secus oesophagi decursum se protendens usque ad stomachum ab ipso aegrotante minime ferendos, quique in cholera non detegitur, insuper universalis dysphoria pro veneficio ponunt. Praeterea hic sensus acrimoniae aut ardoris in cholera ante emesim non persentitur dum a contra in plerisque veneficiis, quamvis certe non in omnibus, primum sistit symptoma. Observandum tandem quod ardor, si bene attendatur ad relata aegri, semper post assumptionem alicujus substantiae evolvitur.

Effectus primus post applicationem causae cholerae videtur in violenta irritatione membranae mucosae stomachi intestinorumque tenuium inhaerere, quae ad hepar proserpit aut per continuitatem secundum ejus ductus, aut per sympathiam inter organa, quorum actiones intime nectuntur. Nonnulli scriptores, ordinem invertendo jam antea statutum, hepar consideraverunt ut partem primitus affectam, et perspicuam perturbationem tubi digerentis tanquam perturbationis organi effectum. Ordo primus videtur magis convenire cum actione generatim huicce affectioni tributa, cum ejus phaenomenis, cum remediorum effecta in ipsam, et cum eo quod in autopsia detegitur. Irritatio protenditur ut vide-

tur, non tantum ad hepar, sed etiam ad medullam spinalem, partes saltem nervis spinalibus provisae spasmis corripiuntur evidentissimis. Cordis actionem sub invasione morbi priusquam supponi possit exhaustam fuisse a simplici dejectionum effectu, suspicionem inducit de affectione primaria in nervis gangliaribus aut in medulla spinali. Quocumque ergo sub adspectu hanc affectionem observamus extra dubium videtur, partes jam enumeratas praecipue morbo laborare, ex quibus symptomata manifestantur morbo ipso propria.

Cholera sporadicus, sive fluxus biliaris, a perpluribus progignitur causis, quae autem in duabus classibus restringi possunt: primum illae quae in systema nervosum generale agere videntur, aut primitus in cerebrum, sicque centralem hunc motorem determinare ad reactionem in organa gastro-enterica. Quoad causas, quae dum in stomacho inhaerent morbosum influxum exercere queunt, cibi, ut supra jam diximus, enumerandi veniunt communis usus; sed eorum nocens influxus circumscriptus est, scilicet non manifestatur, nisi praedispositio aliqua peculiaris in organismo adsit. Inter cibos, qui talem alterationem progignare possunt, recensendae sunt carnes salitae et putridae, caro suis et pisces sale conditi et aceto, vel etiam aliqua piscium pars e. g. oculi; inter vegetabilia bromelia ananas, pruna, cucumeri etc. In hujusmodi casuum majori parte ab auctoribus memoratorum, notatum fuit quod aegri post horum

alimentorum assumptionem statim, ut sitim extinguerent, frigida liquida, aut cerevisiam, aut aquam fontis assumpsissent, hicque solus potus simul cum aliis alimentis assumptus, quam saepissime ad evolutionem cholerae contribuit.

Quoad secundum causarum ordinem, effectus habentur quotidie promptiores, quamquam videantur agens haudquaquam immediate actionem suam exerere. Ex alia parte videmus quod hae causae, dum in systema universale nervosum aut in cerebrum agunt, potius in climatibus calidioribus vigent. Aliqui viatores dicunt morbum choleram endemicum esse in Indiis et in aliquibus Americae regionibus; sed ut febris flava, potius grassari in illis regionibus, in quibus calor summum attigit gradum. Hippocrates mentionem facit de cholera, uti de morbo communi in Graecia. Pariter in Hispania et in Italia haud raro detegitur. Transitus subitaneus ad climinata calidiora causam sistit eo magis efficacem, quo frigidior est regio a qua proficiscitur: e contrario si aliquis a regione calidiori frigidiorem petat haudquaquam difficile est quod cholera evolvatur, verum difficilior evadit ejus evolutio. Insolitio super systemate nervoso cerebrali agens, motus violentus, subitaneos et continuatus saepe saepius cholericas dejectiones promovere valuerunt. Tales sunt motus oscillatorii carrus aut rhedae. Etiam a fluctuatione navis potest talis perturbatio induci, uti cum supra expositis causis ad morbosum concurrat conditionem inducendam symbolam suam

contribuat: et revera tanquam cholera habendus est morbus qui vomitu manifestatur in navigatione.

Impressiones morales, quae directe in organon encephalicum agunt, tum et quando perturbant digestionis functiones. Notum jam est morbum choleram et ab irae accessu et a terrore inductam fuisse. Statum etiam plenitudinis stomachi harum causarum actioni favet: Mabon asserit quod vivaciores animi adfectus in nutricibus ie lac alterationem promovere, ita et illico illo lacte infans nutritus cholera corripiatur. Creditur etiam quod exhalatio cloacarum hunc morbum producat.

Hic morbus cujuscumque aetatis homines aggreditur, nihilo tamen secius illi potius adulti obnoxii esse videntur. Observatio satis non demonstrat utrum viri magis quam feminae huicce morbo subjiciantur.

Frequentia morbi hujus in nostris regionibus a statu electricitatis et atmosphaerae, nec non a calore per longam aestatem producto pendent: Sydenhamius dicit quod praecipue in mense augusti frequentiores casus habentur, atque tunc tantummodo morbus observatur genuinus. Ille asseruit praeterea, quod quotannis in autumno cholera iterum reviviscit et praesertim quum aliqua procella atmosphaericam temperiem imminuisset: atque hac anni tempestate sub influxu atmosphaericarum conditionum jam frequentiores observati fuerunt cholerae casus ut Farrus affirmat. Nihilo secius tum et quando observatur etiam in regionibus ad septentrionem, sed tali in casu morbus

inducitur fere semper ab immediatis causis in organa digestionis agentibus.

Prognosis variare debet juxta diversitatem circumstantiarum individualium. Generatim cholera gravior evadit in viris quam in feminis Verum tamen omittendum non est quod senes et juvenes, qui cholerae minus obnoxii sunt, tamen dum hoc contingat modo periculosiori afficiuntur. Adjungere etiam juvat quod morbus speciem individualem acquirit tum a causis, tum etiam ab invasionis momento. Cholera aut indigestioni aut usui alicujus mali alimenti subsequens, etiam fere semper periculosiorem sistit morbum atque cito desinit, quae e contra ab influxu generali pendet, aut epidemice grassatur, lethalis plerumque evadit.

Cura est absolute eadem pro duabus cholerae speciebus jam supra a nobis admissis, dum perturbatio organorum digestioni inservientium eadem etiam semper est, a quacumque causa inducta.

Inter propositas methodos, nos eas therapenticas seligemus substantias, quae ad ram nostram, scilicet ad choleram curandum convenire possunt. In primis dejectionis horis decet praescribere levis potus aliquantisper mucilaginosus; nam si nimis mucilago abundat posset etiam stomachum gravara: sit praeterea tepidulus potiusquam frigidus aut calidus, nec nimia quantitate ita ut ad intervalla tantummodo quartam grani partem sumat: haec quantitas sufficit ad sitim mitigandam, et ad imminuendam ventriculi contractionum vim

(Celsus, Sydnahmius etc.) Pinel praescripsit summo cum aegri levamine, aquam saccharatam, aut aquam grossulariae frigidam et pauca quantitate, sed repetitis vicibus. Hujusmodi potubus adjici etiam possunt applicationes locales emollientes et sedativae Sed eorum temperies modica esse debet. In hoc morbi statu utile erit suadere ablutiones gummosae et narcoticae, quae colorem temperiem corporis humani aequantes. Diaeta austera servanda est, nam generale nervosum systema quiete indiget absoluta. quapropter vires tum musculares, tum organi sensorii perfecte quiescere debent. Locandus ergo aeger in cubiculo potius frigidiusculo, sic etiam lux fere tollatur, et odores absint; tandem minimum frigus haud patiatur aeger, vel nimis lodicibus operiatur.

Hisce ergo praemissis, si aliqua detecta fuerint morbi imminutio in iisdem continuandum erit, aut alia pharmaca illis adjungere efficaciora. In hoc cholerae secundo stadio summopere narcotica commendata fuere, atque semper propinatur aut laudanum liquidum aut extractum gummosum opii: primum ad dosim viginti quinque guttarum in liquido quodam, et alterum in pilulis a tertia grani parte ad granum, ita ut inter nicthemerum quatuor grana ejusdem sumantur. Potest etiam praescribi opium narcotina destitutum, talique ratione magis sedativum videtur. Pariter ablutiones, addito opio, sedantes magis fient. Insuper ad derivationem promovendam optime juvabunt rubefacientia aut vesicatoria ad eamdem

regionem aut ad suras admota. Tum et quando ex improviso omnia cholerae phaenomena evanuerant propter applicationem lati vesicatorii super ventrem in regione stomacho respondenti et hepati. Laudantur etiam balnea tepida per horas protracta. Adynamia ipsam choleram sequens a morbi natura originem ducit, atque ideo sanguinis missiones omnino vitandae sunt. Dumtaxat ad hirudines confugere oportet quum aliquis manifestetur adfluxus localis sanguinis; aut si individuum plethoricum sit, aut haemorrhagias obnoxium. Item evacuantia, purgantia et emetica omnino respuere necessarium est. Ettmulerus ea laudando posteritatis vituperationem promeruit.

Nostris temporibus commendantur praeteres potus cum ipecacuanha alicui sedativo adjecta, et acidum nitricum dilutum in infuso colombi.

Sicuti vero vomitus praecipue symptoma morbi aliis sistere non videtur, sic proposita fuit camphora, moschus, colombus etc. Verum de istis ut de aliis methodis inventis nil dicendum censeo, utpote quae medicinae rationali oppositae sunt et experientia haud confirmatae.

Theses Defendendae

I.

Sensus est praecipuus vitae custos.

II.

Bilis est humor pro chylificatione necessarius.

III.

Omne quod in natura est relationem tenet cum reliquo mundo.

IV.

Non omnes secretiones a sanguine arterioso derivant.

V.

Haud semper in inflammationibus frigus levamen affert.

VI.

Substantia organica praecipue in vegetabilibus paratur, et ad animalia nutrimenti sub forma transit.